NOBILISSIMO ET CLARISSIMO D. DOMINO ERRICO MEMMIO, DOMINO D'IRVAL, REGIS IN INTERIORE CONCESSV CONSILIARIO, PROPRÆTORI VRBANO, AC DECVRIONVM PRÆFECTO &c: Nicolaus Regnier.

NOn peccaui in tuam virtutem (Vir clarißime) dum hos medicinæ fructus deformatos tibi, tanquam solis radijs, vt ab eius almo calore maturitatem iuxta, et dulcedinem nanciscantur, offero, cum te omnes publicæ sanitatis uindicem, & quasi tutelarem deum agnoscant, qui nuperrime hiscenti, et gliscenti hydræ, lui pestiferæ singulari prudentia, ac vigilantia, tanquam Æsculapij claua accinctus, obstitisti, cuius ad miraculum tuæ virtutis stupent, qui eam ex altiori loco contemplantur, quem hodie Horta dea pro templo videtur habitare, quæ semper ad opem, vel consilium patebat: Debui sane tibi, cui vniuersa ciuitas tam multa Pro nuper restituta sanitate public[illegible] *[illegible]bet, ego nunc in sanitatis publicæ, et priuatæ restituendæ, et conseruandæ scientiæ addiscenda instructus, tibi publicæ conseruatori, publice gratul[illegible], priuatimque hos meorum in arte medica laborum primos conatus, vt meæ singularis erga te obseruantiæ, qnamuis exile monimentum offerre, quos iam nunc promo, tibique (Vir clarißime) ex antiquâ formulâ* L. M. Q. Dico, dono, dedico, *atque hoc ardentis erga tuam virtutem ilicium apud me reliquit et publica, et priuata tuæ integritatis, prudentiæ, munificentiæ fama, cui prolixius recensendæ supersedeo, quod norim præconio meo vltra ijs addi nihil posse: Huncce interim animum meum tui cupientißimum, nomini tuo totum, totum deuoueo, perenne hoc statuens.*



Nostri monumentum & pignus amoris.

Vale.

587

AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIIII. IANVARII, M. GASPARE BRAIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

587

An à præmatura venere sterilitas?

NATVRA diuina quædam vis per vniuersum diffusa, rerumq; sensibilium formationis principium, hominem in indiuiduo non fecit immortalem, siue quod ita postularet decus vniuersi, siue quod materiæ necessitas impediret: (est enim αὐτότης æternitatis, ἑτερότης interitus caussa) at in speciè voluit ipsum perdurare, quæ singulorum perenni successione conseruatur: hæc vero perpetuatur iugi, & indesinenti procreatione, adeo vt δύναμις γεννητική omnium quidem postrema sed nobilissima, in eum finem viuentibus à natura insita esse videatur, vt sui defectum supplerent, dum parentes in liberis perfectius, quam artifices in suis operibus viuunt, atque renouantur.

FACVLTAS generatrix nullatenus lapidibus, obscurè plantis, quæ sine congressu progignunt, nulloque sexus discrimine, At manifeste animalibus concessa est, quæ iucundo maris & fœminæ complexu sobolescunt, mare quidem in alio, fœmina vero in seipsa generante, vtroque prolificum, animatumque semen ad generationem conferente, illo tamen potentius, hac imbecillius, ac ne mola quidem absque eorum miscella generari potest: semen autem omnium partium idæam in se continens, præter spumosam σύστασιν, spiritum proprium vitali calore perfusum includit, quem vt & spumosam corpulentiam, ex reliquijs vltimi alimenti, & ex singulis corporis partibus, tanquam materiam principes testes, & indiuiduo, & speciei necessarij alliciunt, eique nobilē vim illam διαπλαστικήν, seu fœcunditatē, quæ seminis forma est, impertiunt.

ENIMVERO ad generationem præter fœcundi, perfectéque elaborati seminis (quale est substantia, & colore χαλαζώδης, temperamento calidum humidum, pondere leue) abundantiam: instrumentorum non modo genitalium, sed & principum laudabilis conformatio, atque robur requiritur, penis in constanter arrigendo, & semine confertim excernendo, vteri in eodem excipiendo, retinendo, fouendo, vt penis obliquitas, indecens magnitudo, vel sub cane perforatio in hypospadiæis sterilitatis caussa: sic & vteri angustia, contortio, obstructio, imò quæ frigidos & densos habent vteros, aut præhumidos, vel sicciores, & æstuosos non concipiunt, sed quæ ex vtrisque moderationem nactæ sunt, locumque temperatiorem.

IN veneris vtilitate definienda temperamenti, ætatis, temporis habenda ratio. Aptissima veneri temperies calida humida, calidæ siccæ, frigidæ siccæ noxia, parca tamen melancholicis commoda, morbis à pituita venus medetur. Ætate florentibus exercenda, pueris, puberibus, adolescentibus, maximè senibus execranda. Ver cæteris temporibus commodius, quo etiam bruta in furias ignésque ruunt: Æstas mulieribus, hyems viris procacior: estne post somnum potius quàm antè, liberis danda opera? Veneris tempestiuæ multa sunt commoda, tristitiæ & dispnœæ depulsio, somni conciliatio, prolis susceptio: intempestiuæ corporis languor, virium exolutio comes est, vitæ grauissimis articulorum, neruorum, sensuumque affectibus stipatæ breuitas, animalia salaciora sunt μικροβιώτερα.

VENEREM tamen præmaturam deteriores sequuntur affectus quam immoderatam, illa enim qualis ante pubertatem censetur, non modo totius corporis incrementum arcet, (quanquam ipsum initio accelerare videatur) sed & natiuum calorem minuit, cuti floridæ pallorem inducit, propriumque partibus omnibus alimentum detrahendo habitum extenuat, summam ipsis generationis organis imbecillitatem affert, meramque officij priuationem; ex quibus fit vt postea, vel leuiori conatu, pro semine sanguis, aut si semen illud ipsum infœcundum, & aquosum, non ἀθρόως, sed pigro lapsu, pudendo lachrymante stillet potius quam profundatur, affectus affinis gonorrheæ (cui, & virulentæ priscis incognitæ, saphenæ, & basilicæ sectio potius, quam guaiaci decoctum terebinthina prodest) quodquidem semen vterus non excipiat, aut exceptum statim propter fluxilitatem elabi sinat, vnde frustratum opus generationis, sterilitas.

Ergo à præmatura venere sterilitas.

Asserebat NICOLAVS REGNIER Parisinus Anno R. S. H. 1619.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Dossier.	*M. Guillelmus Gerbault.*	*M. Michael Toutain.*
M. Renatus Moreau.	*M. Franciscus L'espicier.*	*M. Robertus le Secq.*
M. Iacobus Perreau.	*M. Franciscus le Sage, M. R.*	*M. Simon le Tellier. M. R.*

